



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,  
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola  
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas  
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

**Melanchthon, Philipp**

**1559**

**VD16 M 3567**

Oratio de amore Veritatis, seu de odio Sophisticæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34734**

ORATIO PHILIPPI MELAN-  
thonis, de amore ueritatis, dicta ab ipso, cum de-  
serneretur gradus Magisterij D. Andreae Vuin-  
clero Vratisla. et alijs quibusdam bonis et  
doctis uiris, Anno M. D. XXXV.  
die April. X. IIII.



Non soleo odiose repugnare  
amicis: Itaq; modo etiã faci-  
le passus sum mihi prouinciã  
hoc in loco dicendi mandari,  
& si pleriq; alij collega no-  
stri ad dicendum aptiores  
sunt. Sed cū collegis nostris

libenter morem gessi, quibus cū uidetis me con-  
iunctissimè uiuere. Amo enim eos ex animo, &  
quia me cum eis Respub. coniunxit, & propter  
ipsorum egregiam doctrinam, & in omni officij  
genere diligentiam & uirtutem: Tum uerò gra-  
tificandum duxi his doctissimis uiris, & huic ho-  
spiti, qui cum singulari fide & foelicitate literas  
doceat, non deesse ei studia atq; officia nostri ordi-  
nis debent. Nã si rectè estimas, amplissimè de tota  
Rep. merentur isti, qui primam ætatem rectè eru-  
diunt, et ad maximas artes preparant. His igitur  
ostendere uolui, me & honori ipsorum fauere, &  
hac scholarum testimonia, seu gradus magnifam  
P ij cere.

Gradus schola-  
stici foedera cū  
Repub. faciūt.

cere. Etenim cū plurimum dignitatis sit in his  
optimis atq; utilissimis artibus, quarum propa-  
gatio & defensio collegio nostro commissa est:  
multum etiam dignitatis in hoc gradu esse, iudi-  
candum est, cū in hoc ipso gradu foedus cum Re-  
pub. fiat, in quo hi quibus decernitur, obligantur  
Reipub. ad docendas optimas artes, et utilissimas  
humano generi. Hoc foedere quid potest cogitari  
honestius aut sanctius, modo ut hi qui auctores sunt  
hoc honore, magnitudinem muneris sui animo con-  
tiantur, & pro uirili tueri studeant? Certē con-  
siliū faciendi huius sanctissimi foederis in hoc gra-  
du, est honestissimum atq; humanissimum. Quare  
digni odio sunt Cynici, qui ut ceteros honestis-  
simos, ita & gradus grauisimo consilio institu-  
tos, quiq; obligant homines ad defensionem bonarum  
disciplinarum, aspernantur.

Exposui cōsiliū meum, quare in hanc scenam  
produci me passus sim. Solet autem hīc uel de arti-  
um dignitate, uel de studijs uirtutis dici. Hic me  
cū ualde mihi probetur, sumpsit & ipse argu-  
mentum ex eodem genere. Et quoniam constat ho-  
nestas disciplinas, leges & religiones, uincula  
humanae societatis, facile iudicari potest, maximam  
necessariam esse ad uitam omnium bonarum arti-  
tium, doctrinam. Itaq; de hac parte non disputabit  
proximū.

prolixius: Nam id quidem persuasissimum esse omnibus debet, & monent idem quotidie doctorum voces et literæ. Dicā igitur de una quadam uirtute pernecessaria his qui in studijs uersantur, uidelicet, de amore ueritatis, seu de odio sophisticæ. Etenim nulla uox humana satis eloqui potest, quantum referat, herere in animis infixum ab incunte ætate acerrimum sophisticæ odium. De hoc quaeso, ut me diligenter audiatis adolescētes, quem iā ætas et magna rerum uarietas erudierunt. Nihil opus est iam dicere, quantum Reipub. cura angat atq; exerceat animum meum. Illud tantum dicam, ut me maiori studio audiatis: uerè hoc affirmare possum, me paterno affectu atq; amore cōplecti omnes studiosos, ac uehementer uestris periculis affici. Itaq; quod aliās sepe monui, idē nunc quoq; quoniam in hoc cōfessu doctissimorum hominū oratio, plus habere debet autoritatis, obtestandos uos esse duxi. Ac longè aliud præcipiā uobis, quā apud Sophocleē Vlysses præcipit Achyllis filio adolescēti Neoptolemo, cū docet eū mēdacijs circumuenire et fallere amicū, et quidē multis argumentis declarat, hoc artificium usitatissimū esse in uita negocijs. Cumq; adolescēs miratur, qua frōte, quo ore mēiri quispiā ausit sciēs, respōdet Vlysses, nefariè quidē, sed significās quales sint hominū mores:

Amor ueritatis.

Vlysses docet mentiri Neoptolemum.

p iij Vbi=

Vbicunq; spes lucri est, pudere non decet.

Atq; utinam hæc Vlyssæa Philosophia tantum in priuatis et leuibus negocijs exerceretur. Sed experimur eam peruasisse in grauissimas Regum deliberationes, in scholas, corrumpere artes, & quod est præcipuè deplorandum, regnare in Ecclesijs, & obruere religionem. Quare si solida doctrinam & utilem generi humano expetit hoc uestrum curriculum Deo placere, & prodesse se alijs uultis, uehemētissimū odium Sophisticum concipiendum est. Atq; hac in re primo quid uocem Sophisticen, deinde quàm perniciosam sit, considerandum erit. Non enim appello Sophisticen, tantum ridiculas illas cauillationes, quæ pueris traduntur in Dialecticis, ceratinas, et codilinas, et similes. Illa uobis cauenda est Sophistica, quæ mirificam sapientiæ speciem præ se fert, & in curia, in subsellijs, in Ecclesia dominatur. Vbi alios piget inquirere ueritatem, alij exparte re cōmodè non norunt, alij per ambitionē de industria nebulas offundunt. Et interim magna auiditate inserūt animis falsas et nocituras opiniones.

Sophisticæ.

Melancholicorum exempla.

Medici narrant melancholicorum exemplorum alius errore mentis putauit se factum se gallum gallinaceum: alius sedit in uacuo throno, somnians se uidere spectacula. His perijur

les videntur plurimi hebetiores, qui leui aliqua  
 cauillatione decepti, amant absurdas opiniones,  
 & quod est miserandum, his ita blanditur error,  
 ut sibi applaudant, se beatos ducant illa insania.  
 Exempla sunt in scholis & in Ecclesijs plurima.  
 Stoici propter leues cauillationes discesserunt à  
 natura, & suam illam ἀπρόθετον ridicule sibi fin=  
 xerunt. Longius etiam à natura discedit Epicu=  
 rus, qui prorsus euertit Physica, tollit efficien=  
 tes & finales causas, & quidem de his inuentis  
 utriq; sibi mirum in modum placent. Quid nunc  
 Anabaptistæ, quàm sunt planè τετυφωμένοι, ac  
 dementati Sophistica: Sed hos hebetiores omitto.

Stoici.

Epicurus.

Anabaptistæ.

Alij quidam abundant ingenijs, qui in studijs  
 suis non proponunt sibi hunc finem, ut ueritatem  
 eruant ac patefaciant, sed ut de omnibus rebus  
 prodigiosa uarietate disputent. Et has prestigias  
 summâ ingenij laudem esse ducunt. Tales fuerunt  
 olim Academici seu Pyrrhonij potius, qui omnia  
 pariter incerta esse contendebant, & ne probabi=  
 lius quidem alio aliud, ac Geometrica principia  
 etiam euertere conabatur, scilicet, ut acuti, ut co=  
 piofi uiderentur. Tales sunt apud Platonem So=  
 phistæ, Gorgias, Thrasymachus, nec ipse raro ad  
 eundem modum ludit. Hæc ingeniorum licentia plu=  
 rimum habet periculi. Ea quæ amât, amplificane

Academici.

in immensum: quæ non amant, extremè abijciunt, dicunt uicina pro ueris, miscent non coherentia, distrahunt ea, quæ cõiungi oportuit, perinde ac si cõturos, ac chimeras pingerent: nihil propriè, nihil disertè dicunt, ludunt Ironijs & alijs delatarijs. Videte quibus coloribus nunc ingenio si homines pingant abusus Ecclesiasticos, quibus technas ueras sententias obruant. Quàm multa inueniunt σοφὰ φάσμακα, ut medeantur absurdis opinionibus, quoties in eum locum uentum est, ubi oportet seu uersare dolos, seu certè occumbere morti.

Cum hac Sophistica bellum ἀπονοσθε debet esse omnibus, qui et boni uiri perhiberi uolunt, & studia sua referunt ad cõmunem utilitatem. Plato grauissimè dicit, dandã esse operã in dicendo, non ut hominum plausus captemus, sed Deo gratam faciamus. Quare tota mēte, totoq; animo in hęc studia unum intueamur, huc directã sit manus, oculi, cura, ut & eruamus, & quàm simplicissimè & planissimè patefaciamus ueritatem. Hęc enim deo nos cõciliat, et maximè cõuenit nature, et salutem affert Rebus, et ecclesijs. Nec ulla existimamus officia Deo gratiora esse, nihil Reipub. utilius, quàm hoc studium explicandæ ueritatis. Bonissimè enim dictum est illud in legibus Platonicis: ἀλήθεια πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἰσχυροῦς

Platonis grauissimum dictum.

ται, πάντων δὲ ἀνθρώπων. Veritas omnium bono-  
 rum causa est dijs et hominibus. Quam crebro præ-  
 cipit Christus de colenda & tuenda ueritate? quã  
 sancte commendat nobis eius studium? quã hor-  
 ribiles pœnas etiã proponit his, qui ueritatẽ uio-  
 lant? Porro qui amant Sophisticen, & in ceteris  
 artibus ludere cõsueuerunt, ad eundem modum lu-  
 dunt in doctrina cœlesti. Iã hic remedia quærenda  
 erant, quibus pramunirentur animi cõtra Sophi-  
 sticem, sed me uetus uersiculus perterrefacit, qui  
 negat remedium esse cõtra Sycophantæ morsum.  
 Et ita latè grassatur hæc pestis, quã uel Sycophan-  
 ticam, uel Sophisticam potes appellare, ut cõtagi-  
 um uix usquam possis effugere: Repugnandum  
 est tamen arte aliqua. Primum ingens odium So-  
 phisticæ concipiendum est. Deinde uidendum in  
 scholis, in ecclesijs, in cõcilij, quinam inquirent  
 ueritatem, qui ludant quadã ingenij procacitate,  
 qui defendant priuatas aliquas cupiditates. Atq;  
 hic assumendum est illud Epicharmi, in quo nerui  
 atq; artus esse sapientiæ dicuntur, *μὲν μὲν ὄσος ἄνω-  
 σεν*. Nõ statim assentiendum est, præsertim mon-  
 strosi et irreligiosi opinionibus, nõ est præcipi-  
 tanda sententia. Tempus adhibendum est in consi-  
 lium, quod uerè est, ut ille inquit, sapientissimus  
 monitor. Deinde sit directã mens ad inquisitionẽ

Quomodo So-  
 phisticæ repu-  
 gnandum.

Tempus.

P V ueri-

Methodus.

ueritatis, adhibeat methodum, quæ, ut Plato inquit, ignis est cælo allatus, qui præbeat lumen ad ueritatem cernendam. Coherceat se quisq; intra septa methodi, nec temerè excurrat in alienos locos. Amet proprietatē in artibus, & sibi subinde illud præceptum utile Stoicorum inculcet: *ὁσὸς ἐν δὴ ἑνὶ πρῶτον ἐστὶν*, sapiens propriè loquitur.

Demonstratio-  
nes.

Magnā uim et hoc habet, multum opera colligere in ijs artibus, quæ plurimū habent demonstratum. Nā et Galenus fatetur se penè in amantissimum Pyrrhonorum delapsus esse, nisi in Geometriam uidisset tantā esse uim demonstrationum. Negat hoc dico, quod putem in diuinis oraculis, aut alijs requirendas esse demonstraciones: Sed consuetudo methodi prodest studiosis, & format iudicia. Postremo & Remp. animo intueatur, cōsideret esse pestes ecclesiæ, et Reip. precipuas, Tyrannidem & Sophisticen, sed hęc multò nocentiorē Tyrannide. Omnibus seculis Sophistica cōtaminata & dissipauit religiones. Et falsas opiniones, factiones, dissidia, cædes, bella, imperio mutationes, in quibus nihil mali non inest. Spargit enim Diabolus mendacia tanquā semina cærarum cladum. Quid quod animæ etiam demeritate ruunt in perniciem? Ac dici nō potest, quā facile saucientur mentes, quanta prudentia

Respon.

Respon. animo intueatur, cōsideret esse pestes ecclesiæ, et Reip. precipuas, Tyrannidem & Sophisticen, sed hęc multò nocentiorē Tyrannide. Omnibus seculis Sophistica cōtaminata & dissipauit religiones. Et falsas opiniones, factiones, dissidia, cædes, bella, imperio mutationes, in quibus nihil mali non inest. Spargit enim Diabolus mendacia tanquā semina cærarum cladum. Quid quod animæ etiam demeritate ruunt in perniciem? Ac dici nō potest, quā facile saucientur mentes, quanta prudentia

fit, ne à recto cursu depellantur. Christus minatur atrocissimas pœnas his, qui paruulorum mentes ledunt, et inquit: *Ve homini per quē accidit scandalū.* Hæc periculi magnitudo maximè debet nos exuscitare, et curam acuere discendi, ut uera & utilia ecclesiæ proponamus: Neq; enim sine maximo studio, sine multarum rerum atq; artium cognitione, sine lōgo usu formari iudicia de magnis rebus possunt. Ac semper nobis ipsi subiiciamus, cum hæc pericula de quibus cōcionatur Christus, tum etiā quā iucunda bonis mētibus sit ueritas, quantum uitæ præsidium sit in omnibus negotijs, quā digna uirtus bonis uiris, ueritatis amor. Cogitemus philosophum esse nō præficiatorem, aut Eurybatum aliquem, sed φιλαλκιδῆ. Sciamus nostro ordini cōmendatam esse ueritatis defensionē, expendamus quantum sit scelus, hanc stationem, in quam à Repub. collocati sumus, deserere. Habent autem interdum illecebras falsæ opinionēs, adulantur cupiditatibus nostris, ambitioni, superstitiōni, aut alijs. Aduersus has insidias obfirmandus est animus, & illud Euripidis præceptum tuendum, quod Aristoteles proponit his, qui populo concionantur in ciuitatibus: *μη μοι τὰ κόμματα λέγε, ἀλλὰ ὧν πόλις εἶ.* Ne plausibilia dicas, sed quibus opus habet ciuitas.

Hæc

Præceptum Euripidis.

Hec inculcate animis optimi adolescentes. Nam studia uestra non tantum ad priuatas utilitates uestras, sed ad totam Rempub. ad gloriam Dei, ad Ecclesie salutem pertinent. Quod cum cogitatis, maiore cura ad tantarum rerum defensionem animi erunt instruendi ac preparandi. Atque hanc causam in bonis ingenijs plurimum ualere spero, quae decet profecto maxime et uoluntate Dei comminationibus diuinis, et periculis publicis ipsa rerum dignitate moueri. Dixi.

ORATIO DE ODIS SOPHISTICES, in promotione Magistrorum, recitata a  
M. Erasmo Reinhold, Saluendensi,  
Decano. Anno  
M. D. XLI.



Arbitror probabili consilio institutum esse hos congressus, in quibus testimonium doctrinae ipsorum, quorum explorata est eruditio, tribuitur. Decet enim haec quasi censoria iudicia publice fieri. Quaeque sunt causae, me congressus ipsi delectant. Iuuat enim coetus uidere bonorum et doctorum uirorum, qui sunt praecipua ornamenta Ecclesiae et Reipub. Et cum alios in alijs artibus excellere animant.

Ornamenta  
Ecclesiae &  
Reipub.